DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE ICTERO.

Tuckey (Tho.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS TUCKEY,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDINB. SOC. HON.

Ad diem 12. Sept. horâ locoque solitis.

Fervens difficili bile tumet jecur. Hor.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M DCC XCVIII.

VIRIS EXIMIIS,

JACOBO LAURANTIO COTTER,

EQUITI BARONETTO,

SENATORI HIBERNICO, &c.

ET

JACOBO REID,

ECCLESIAE ANGLICANE PASTORI

REVERENDO, PIO, ADMODUMQUE TRUDELLO

APUD MIDDLETON,

IN COMITATU CORCAGIENSI,

HOCCE OPUSCULUM,

OBSERVANTIAE, GRATIQUE ANIMI

INDICIUM,

OFFERT

THOMAS TUCKEY.

I 2
L-M

VIRIS EXIMIIS,

JACOBO LAURANTIO COTTER,

EQUITI BARONETTO,

SENATORI HIBERNICO, &c.

ET

JACOBO REID,

ECCLESIAE ANGLICAE PASTORI

REVERENDO, PIO, ADMODUMQUE ERUDITO,

APUD MIDDLETON,

IN COMITATU CORCAGIENSI,

HOCCE OPUSCULUM,

OBSERVANTIAE, GRATIQUE ANIMI

INDICIUM,

OFFERT

THOMAS TUCKEY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE ICTERO.

Auctore THOMA TUCKEY.

Morbus, quem hujus opuſculi argumentum ſelegi, apud Graecos Ἴκτερος; Romanos, *Morbus regius*, *Arquatus* vel *Arcuatus*, *Aurigo*, *Suffuſio Bilis*; apud Gallos *La Jauniſſe*; et Anglos *Jaundice*, vocatur. Unde quaedam ex his nominibus deriventur, parum conſtat: caeterorum autem origo eſt ſatis manifeſta. Indicia, quibus ab aliis affectionibus dignoſcitur, in hâc clari Cullen definitione accuratâ, recenſentur.

" Flavedo

" Flavedo cutis et oculorum, faeces albidae,
" urina obscurè rubra, immissa colore luteo
" tingens."

HISTORIA.

Haec affectio nullius aetatis, sexus, temperamenti, regionis, aut vitae generis propria est; neque foetui quidem tenello, si qua quibusdam auctoribus fides, parcit. Mirum foetus arquati exemplum ex Kerckringio apud Bonetum existit. Malum autem post pubertatem frequentius invadit. Homines temperamento melancholico, aut cholerico praediti, sedentarii, quique vitam ignavam degunt, aut nulla ferè corporis exercitatione utuntur, huic malo opportuniores sunt; hinc mulieres in idem procliviores existere fertur; hoc autem experientiae Doctoris Heberden repugnat: ex centum enim aegris curae ipsius demandatis, 52 erant mares, porro, plures, in his saltem insulis, mulieres haùd degunt vitam sedentariam. Qui denique mensae voluptatibus indulgent, quique nimio liquoris

spirituosi

ſpirituoſi uſui diu aſſueti ſunt, hos ictero frequentius affici medici obſervarunt. Æger, aliquot ante dies quam ſigna in morbi definitione ſupra tradita apparent, languorem, laſſitudinem, ponderis etiam vel oppreſſionis ſenſum, tenſionem ac dolorem, plus minus acutum, in epigaſtrio et hypochondrio dextro, cibo, praeſertim ſolido, ſumpto, auctum, inſignem praecordiorum anxietatem et reſpirationem ſub-difficilem, conqueritur; ſaepe quoque accidit dolorem ad claviculam, et ſummum humeri dextri percipi. Poſtquam haec ſigna aliquamdiu perſtiterint, in tunica adnata, et unguium radicibus, percipitur flavedo quae paulatim in totam corporis ſuperficiem diffunditur. Dr. Stark flavedinem ad epigaſtrium primò ſe oſtendere dicit. Urina croceum colorem induit, fit turbida, lintea alba, et chartam immiſſa, colore luteo tingit, et faecem deponit. Faeces alvi cinereae, interdum albidae fiunt, ſpiſſitudinem luti habent, et faetorem naturalem amittere feruntur. Indicia jam enumerata cibi faſtidium, nauſeam, flatum, vomitum frequentem, caeteroſque cruditatis ven-

triculi indices, comites fere ſemper habent. Alvus eſt plerumque compreſſa, interdum vero ſoluta exiſtit. Animus corporis malorum particeps fit, aeger enim angoribus conficitur, ſomnolentiâ ſimul ſaepe opprimitur, interdum vero vigilantia plenus eſt. Cutis eſt plerumque arida, et pruritus aliquando intolerandus, toto corpore diffuſus, aegrum calore narium levi, ſed mordaci, inquietat. Non deſunt qui rigores, ſingultum, et animi deliquium haud raro ſupervenire ſcribunt. Vertigo, capitis dolor, ſitis, auctus corporis calor, frequentiores arteriarum pulſus, aliaque pyrexiae indicia interdum adſunt. Saliva haud raro guſtu amara fit, et colorem flavum interdum adipiſci fertur, tuncque cibus ſolidus, rariùs vero fluidus, amarus aegro videtur; imo ſudor ipſe, ut auctores fide digni narrant, flaveſcit et induſia inficit. Van Swieten et Heberden caeteras pleraſque ſecretiones hoc morbo laborantium vitiari notarunt; dum lac mulierum ictericarum nihil neque guſtum, neque colorem, mutatum, perſtitit. D. Heberden quidem ſe infantem, qui lac nutricis arquatae ſex

menſes

menſes avidè ſuxit, et integrâ tamen valetudine uſus eſt. Dr. Underwood contrà, aſſerit ſe infantem vidiſſe qui icterum verum cum lacte materno ſuxit. Quomodo hoc fieri potuiſſet, vix intelligere poſſum, quamvis enim lac, morbo inveterato, infici conceditur, haud inde tamen ſequitur, morbum infanti ex hac cauſa ſuperveniſſe; nec probabile videtur infantem lac vitiatum, et guſtu neceſſariè amarum, ſugere velle; veriſimile mihi igitur eſt, morbum ex aliis cauſis latentibus originem habuiſſe.

Medici quidam, et poetæ etiam, res externas colore flavo tinctas, arquatis interdum videri, affirmarunt; hoc autem rarò, credo, occurrit; plerique quidem recentiores ſcriptores penitus negant, et nonnulli nunquam fieri poſſe aſſerunt.

Malum cum horum ſignorum pluribus, paucioribuſve, tempus plus minus longum, plus minus grave perſtat; modo eſt adeo mite, ut aegroto levem tantum moleſtiam afferat; et poſt paucos dies decedat, nunquam reverſurus; modò autem in menſes protrahitur, et naturæ vel

artis

artis beneficio ſublatum, iterum incertis intervallis redit; et hoc modo miſerum, per totum vitæ curſum, pertinax aliquando fatigat. Morbo inveterato, aegrotus macie inſigni corrumpitur. Haud rarò autem exitu omninò diverſo finitur; aegrotus miſerandus citius ocyus eidem ſuccumbit, nulla manifeſta ſignorum remiſſio obſervari poteſt; contra ingraveſcunt; cutis color fit magis fuſcus; vires penitus franguntur, et Hectica confirmata tandem accenditur, interdum Aſcites immedicabilis, imò aliquando haemorrhagia ingens, aut apoplexia, mortis praenuncia, ſuperveniunt.

PHAENOMENA CADAVERUM INCISIONE INVENTA.

Variae res morboſae, inciſis ictero ſublatorum cadaveribus repertae fuerunt; hae ſpecies apud Bonetum, Morgagni, Lieutaud, alioſque ſcriptores, memoriae produntur. Partes internae coloris flavi, qui in corporis ſuperficiem diffunditur, participes fiunt; membranae,

adeps,

adeps, ſanguinis ſerum, humores in diverſis corporis cavis contenti, imò etiam ligamenta, cartilagines et oſſa decolorata fuerunt; cerebri medulla, oculique humorum color raro vitiatus apparuit.

Hepar, pancreas, lien, meſenterium, omentum, duodenum, inteſtina tenuia et craſſa, variis vitiis, mole nimirum praeter naturam auctâ, ſchirro, duritie, &c. affecta, inventa fuerunt. Hepar varii generis tuberculis obſitum, materiâ terreâ infarctum, omnibuſque inflammationis ſtadia ſua diverſa percurrentis, indiciis, et colore variè mutato, vitiatum, apparuit.

Concretiones felleae, vel calculi, ut plerumque vocantur, in veſica bilis, ductu cyſtico, et etiam in poris biliariis majoribus, in ductu hepatico, et ductu communi, ſaepiſſimè reperta fuerunt. Cyſtis fellea, mole modò aucta, modò minuta, alias bile fuſcâ ac viſcidâ infarcta, alias vacua, aut humore tenui tantùm repleta, extitit. Ductus fellei haud parum, ſed inaequaliter dilatati fuerunt, fel tenax modò habue-

runt,

runt, modò inflammatione praegreſſa tunicae eorundem praeter naturam craſſae evaſerunt, vel parietes eorum interni penitus concreverunt, imò in os nonnunquam verſi erant.

Glandularum lymphaticarum prope capſulam Gliſſon ſitarum moles haud parum aucta fuit.

Haud difficile intelligi poteſt quaenam ex his diris ſpeciebus morbi cauſa, quaenam effectus tantùm extiterunt. Nullâ morâ igitur ad proximam argumenti partem devenimus.

CAUSAE OCCASIONALES.

In hoc malo fel hepate jam ſecretum haud in duodenum more ſolito tranſire, ſed ad ſanguinis maſſam delatum, et ſic in totum corpus diffuſum, praecipuis morbi ſignis occaſionem praebere, ponimus. Omnia igitur quotquot fellis curſum naturalem impediunt, pro cauſis excitantibus jure haberi debent, et hinc plurimae res huic effectui praeſtando pares, quas ſupra memoravimus, cadaverum inciſione repertae fuerunt, quaſque hic loci iterum memorare mi-

nimè neceſſarium videtur, ſat habeo tantùm obſervare, quoties viſcera aliaeve partes vicinae, mole aucta aut ſchirro affecta, ductus felleos comprimunt, morbum, tranſitu bilis in duodenum impedito, excitari. Omnium viſcerum jecur ipſum frequentiſſimè hoc modo affectum invenitur; et ſaepius viris quam mulieribus oppilatur; hoc inde forſan pendet quod illi magis dediti ſunt ſpirituum diſtillatorum abuſui, qui jecori plus quam ventriculo in quem ingurgitantur, experientiâ teſte, nocent. Morbus ex ductuum ipſorum vitio haud rarò oritur: cadaverum inciſio autem et obſervatio, aegris vivis, factae, malum frequentiſſimè ex concretionibus felleis, quae, ut ſupra memoravi, in ductibus ſaepe reperiuntur, originem trahere, demonſtrant: calculi enim ſaepe dejiciuntur, interdum evomuntur, aegerque diarrhaeâ ſuperveniente, ſaepe convaleſcit. Plures calculi vel unicus tantum, in ductibus exiſtere poſſunt, hicque iteratis mali tentationibus anſam praebere queat; fieri enim poteſt, ut, ſitum ſuum ita mutet, ut fel liberè tranſire ſinat: hîc mor-

bus ſanari quidem videbitur; iteratus autem ſuperveniet morbi impetus, quando calculus iterum ductui ita inhaereat, ut fellis curſum impediat. Veriſimile videtur has concretiones felleas plerumque formari in ipſâ bilis veſicâ, ex qua per ductum cyſticum in communem cholidochum, tranſeunt; dum calculi in duobus prioribus manent, nullum malum plerumque exoritur, niſi tantâ mole fuerint, ut ductum communem comprimant; calculi autem fellei nonnunquam formantur in ipſo jecinore, in poris enim biliariis majoribus, et in ductu hepatico etiam interdum reperti fuerunt. Limites, quibus diſputationes hujuſmodi neceſſariè circumſcribuntur, haud ſinunt ut de calculis hiſce fuſè agam; paucas igitur tantùm obſervationes attuliſſe ſatis habebo. Eorundem moles, figura, color, fabrica et durities, ſunt admodum diverſa; aquâ leviores plerumque exiſtunt, flammam, igne admoto, concipiunt; et interdum guſtu amariſſimi inveniuntur; alii nucleum habent, alii verò nihil iſtiuſmodi habere videntur. Dominus de Fourcroy qui

huic

huic rei noſtrae parti haud parum inſudavit, calculos in tres varietates dividit; in tertia varietate ſeu calculo radiato exiſtit ſubſtantia ſingularis cryſtallina, quam naturâ olioſâ praeditam eſſe invenit, et ſevum ceti, qui vocatur Phyſeter Macrocephalus, dotibus referre ſcribit. Nonnulli calculi formari videntur ex felle ſpiſſato circa nucleum paulatim ordinato, in aliis autem bilis elementa vel alio ordine, vel aliâ proportione diſponi, vel aliis praeter naturam dotibus praedita, ſecerni ponamus oportet, quia nonnunquam inveniuntur in ipſis principia, quae difficilè deteguntur in felle, ex quo formari creduntur. Calculorum formationem inter et ignavum vitae genus nexus intercedere videtur; Haller atque Soemmering eoſdem ſaepius reperierunt in his qui diu in carceribus incluſi erant; aliique anatomici nobis confirmant ſe frequentius eos vidiſſe in monachis, eruditis, aerumnoſis et triſtibus, nunquam in infantibus forſitan, raro in impuberibus inveniuntur. Quidam graves ſcriptores, in mulieribus frequentius exiſtere aſſeruerunt; Morgag-

ni autem, in his rebus maximè expertus, utrumque ſexum calculis ex aequo patere invenit: idem auctor, ex toto numero cadaverum, in quibus concretiones felleas reperit, 61 ſenum, et 8 tantùm juniorum fuiſſe, nobis confirmat; horum natu maximus annos 29, minimus vero 12 tantùm, vixerunt. Quarundam regionum incolas calculis felleis opportuniores exiſtere fertur. Eoſdem Morgagni in cadaveribus quorum in organis urinae inſervientibus calculi quoque reperiebantur, ſaepius comperiſſe refert. Concretiones felleae mole inſignes interdum ictero non exiſtente, dejectae fuerunt: Hîc veſica bilis, inflammatione praegreſſâ colo adhaerebat, in quod calculus rectà tranſiît: calculi mole inſignes per ductum quoque communem tranſierunt; hoc ex ſignis quibus aeger excruciebatur et ex ductu inſigniter dilatato, quod cadaveris inciſione inventum fuit, conficitur.

Praeter cauſas evidentiores ab auctoribus recenſitas, aliam quoque memorant, ſpaſmum nimirum ductuum, qui morbum ſubinde concitat;

tat; hujus ſententiae fautores ductus per quos fel tranſit, fibris muſculoſis inſtructos, ſpaſmoque, non ſecus ac aliarum partium muſculos, obnoxios eſſe ponunt. Medici haud pauci admodum celebres icterum plurium morborum ſpaſticorum, hyſteriae, putà, colicae, et praeſertim ſpeciei, quae Colica Pictonum audit, violentiorum porrò animi affectuum, aliarumque cauſarum, quae nullo alio modo, ut hi auctores opinantur, quam ſpaſmum excitando agere poſſunt, comitem aut effectum haud rarò eſſe affirmant: Contrà, alii clari viri, quibus dubium videtur, num hi ductus fibris muſculoſis, (de quibus reverà parum adhuc conſtat,) inſtructi ſint; nullam ductuum partem, praeter illam, quae inter duodeni tunicas tranſit, ſpaſmo affici poſſe; huncque ſpaſmum, ex inordinata iſtius inteſtini contractione ſolâ oriri, opinantur. His autem ſententiis objici poteſt, quod muſculorum contractio ex naturae lege, citò plerumque laxetur oportet: nullumque igitur ſpaſmum tamdiu perſtare poſſe, ut tranſitus bilis in duodenum permanenter impediretur:

pediretur: nonnulli ob hanc rationem hanc cauſam penitus rejiciendam eſſe putant. Rei autem ratio a Profeſſore Rutherford in praelectionibus ſuis Clinicis eximiis reddita, ſatis mihi veriſimilis videtur; contractione ſpaſticâ ductuum, aut duodeni, (in quod ſpaſmus haud rarò, ut credit, a ventriculo uſque ſerpit) exiſtente, fel retentum adeo viſcidum fieri ut in duodenum tranſire nequeat, opinatur: et certè bilis tenax ductus obſtruens haud infrequens morbi regii cauſa exiſtere videtur; eâdem enim ſurſum, vel deorſum, evacuatâ, morbus ceſſat.

DE VIA QUA FEL IN HOC MORBO IN SANGUINEM FERTUR.

Fel, in hoc morbo, in vaſa ſanguinea ferri, et in totam ſanguinis maſſam diffundi, ſupra poſuimus. De hoc ſatis jam inter medicos conſtat: de via autem quâ fel in ſanguinem fertur, adhuc a quibuſdam medicis diſputatur. Uſu vaſorum abſorbentium nondum plenè ac penitus invento,

inter-

inter medicos paſſim invaluit opinio, fel, curſu ejus in duodenum impedito, in ſanguinem per venas ſanguiferas refluxiſſe. Haec rei ratio medicis tunc temporis florentibus fundamento adeo ſtabili inniti videbatur, ut de rei veritate minimè dubitaverint. Exinde autem alia longe verisimilior via, per quam fel in ſanguinem fertur, inventa eſt, vaſa nimirum hepatis abſorbentia, quibus fel abſorptum in ductum thoracicum et inde in ſanguinem vehitur. Cel. Monro hanc maximè quidem in phyſiologia momenti rem, quae jure nunc inter omnes phyſiologos recipitur, primus in medium protulit, experimentiſque feliciter excogitatis extra omnem dubitationis aleam poſuit. Cumque haec ſententia caeterarum omnium excretionum obſtructarum ſimilitudine, ac convenientiâ firmatur, et rei rationem, experimentorum fide confirmatam, plenè reddit, ad aliam confugere inutile videtur; " Fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per " pauciora." His autem non obſtantibus, Dr. Saunders veterem fellis ſanguini venoſo reflui opinionem, quamvis non negat quin fel etiam ſimul

mul reſorbeatur, revocare conatus eſt. Experimenta Halleri ſe iteraſſe, aquamque, vi licèt admodum parvâ adhibitâ, ex ductu hepatico in venas hepaticas pleno rivo tranſiîſſe, afferit. Porrò addit ſanguinis ſerum ex una venarum hepaticarum canis, cui ductus hepaticus ligatus fuit, detracti, chartulam albam colore inſigniore, quam ſanguinis e vena jugulari ſerum tinxiſſe. Hoc quidem, ſi experimentis iteratis ritè firmatum eſſet, plus certè ad fidem faciendam faceret, quam opiniones quamlibet ſpecioſae, quae injectionibus in cadavere factis, innituntur, quibuſque rariſſimè fidere poſſumus, praeſertim cùm clarus Monro hujuſmodi injectionis nunquam tam facilè, quam hi auctores nobis perſuaſum eſſe vellent, tranſire comperit. In hanc autem arenam haud meum eſt deſcendere; huic igitur diſputationis meae finem faciam, citato Virgilii verſiculo, ut Saunders ipſe, ſimili re natâ, fecit;

" Non noſtrum eſt inter vos tantas componere lites."

DIAGNOSIS.

Icterus, facile crediderim, ab omni alia affectione dignoſci poteſt; fieri quidem poteſt ut, malo naſcente, in errorem incidatur; ſignis autem morbi propriis, qualia ſunt cutis flavedo, peculiaris faecum, et urinae, ſpecies, una cum hujus proprietatibus, apparentibus, omne dubium evaneſcat oportet. Diverſas autem morbi ſpecies a ſe invicem dignoſcere, hoc licet non ſolum ad mali ſanationem, ſed etiam ad judicium de exitu ejuſdem ferendum omnino neceſſarium fuerit, haud perinde facile eſt. Signa, igitur, ſingulis mali ſpeciebus propria, breviter enumerabo, et de quinque ſpeciebus apud cel. Cullen reperiundis, praecipuè agam. Eſt cur ſuſpicemur malum e calculis pendere, ſi cuivis violentiori corporis agitationi, ſive a gravioribus ejuſdem niſibus, ſive a medicamentis catharticis aut vomitoriis, ſupervenerit. Ingens in ſcrobiculo cordis dolor, pulſu arteriarum ſimul naturali, aliquot ante dies quam cutis flavedo percipitur, perſtans, calculos ſecundum

ſagacem Heberden, ſubeſſe notat. Huc accidit quod dolor e nulla alia cauſa adeo acutus exiſtit, et vomitus ſaepe adeſt. Hoffman moleſtum oppreſſionis in pectore ſenſum, et corpore erecto ambulandi impotentiam, calculorum felleorum propria memorat. Baglivi hoc calculorum exiſtentium indicium tradit, " Si videris icteros ſa-
" natos, ſed recidivos, eos certè a calculo veſi-
" cae felleae progigni, praedicito." Haec ſententia generalior, neque limitibus ſatis arctis finita videtur; ſed ſi aeger malo antea laboraverit, et calculis dejectis convaluerit, non ſine gravi cauſa morbum jam praeſentem oriri ex eadem cauſa ſuſpicari fas eſt, idem enim mali ſeminium adhuc perſtare poteſt; hincque novi calculi formari queant. Suſpicamur hepatis fabricam eſſe morboſam, ſi aeger aliquamdiu ante icterum natum valetudine tentatus fuerat, praeſertim ſi in regionibus calidis peregrinatus fuiſſet, aut frequentiori ſpirituum diſtillatorum abuſui male aſſuetus fuiſſet; porrò in his exemplis jecoris dolor eſt potius obtuſus quam acutus, ſaepiuſque ad claviculam et ſummum humeri

dextri

dextri ſentitur; et quamvis nullus hic loci dolor plerumque percipitur, aeger tamen eundem, preſſo humero, interdum conqueritur. Moles hepatis aucta, et durities, ſitu corporis idoneo, ſaepe ſentiri poſſunt; aegerque dolorem, parte preſſâ, auctum quaeritur; in latus affectum, et dorſum, faciliùs plerumque cubat. Porrò morbus eſt ſolito pertinacior, et depravatus totius corporis habitus citiùs ſupervenit; ita ut omne de mali cauſa dubium brevi tollatur, oporteat. Morbus regius eſt aliquando etiam effectus hepatitidis acutae, quod ſignis hepatis inflammati propriis facile cognoſci poteſt. Icterum violentioribus animi affectibus, morbis ſpaſticis, ingeſtis acrioribus, ſerpentum ictibus, animaliſve venenoſi morſibus, brevi ſupervenientem, ſpaſmum cauſam ſuam agnoſcere auctores affirmant; in hujuſmodi exemplis ſigna ſunt plerumque levia, et citò decidere ſolent. Gravidis ſuperveniens malum, quod antea memoratum eſſe oportuit, hoc facile ſecernitur, quod uterum gerentes adoritur, et poſt partum citò decedit. Haec morbi ſpecies pendere vide-

tur ex utero distento mole sua comprimente ductus, aut caetera viscera sursum in eosdem trudente; vel quia alvus uterum gerentibus plerumque compressa est, oriri potest, ex faecibus in ea coli parte, quâ jecori et ductibus subjacet, diutius retentis. Quidam autem medici, observato, fel nonnunquam secerni gravidis copia majori quam quae ex intestinis facile evacuari potest, malum parti ejusdem absorptae tribuunt.

Infantes recèns nati ictero, sive morbo qui Anglicè *Yellow Gum* audit, corripiuntur, quod ex meconio ostium ductus communis choledochi infarciente provenire dicitur: Lac in stomacho infantum lactentium coagulatum eundem effectum praestare dicitur. Quoad icterum ex aliis causis, nulla signa, quibus detegi potest, ab auctoribus memorata invenio; de ejus indole igitur, praegressâ aegri historiâ, aut peculiari partis laborantis affectione, tantùm judicare potuerimus. Moles pancreatis aucta digitis interdum sentiri potest. Doctor Monro hoc in duobus aegris clare sentire potuit.

Icteri signa, quae nonnunquam febrium intermittentium

termittentium ac remittentium, et praeſertim typhi regionum calidarum, effectus ſunt; et illa etiam morbi exempla, quae de aucta fellis ſecretione oriri ponuntur, cauſarum praegreſſarum, indiciorum aſtantium, cognitione et inſolitâ bilis copiâ dejectâ internoſci poſſunt.

PROGNOSIS.

Judicium de morbi eventu jam dicta magna ex parte docent; pauca igitur de eodem dicenda ſuperſunt, ex cauſae cognitione potiſſimum quidem pendet, donec haec igitur cognoſcatur cautiſſimè ferri debet. Sanatio perfecta aegris rarò praedicenda eſt; morbus enim haud raro redire ſolet; et impetus iterati tandem lethales fiant, aut aegrotos adeo debilitent oportet, ut aliis morbis ex debilitate pendentibus facile ſuccumbant. Quantumcunque ſigna in ictero calculoſo urgeant, calculi plerumque, exinanientur; rigores et ſingultus quae huic ſpeciei interdum ſuperveniunt, nullum, teſtante Heberden, neque praeſens, neque futurum malum indicant;

dicant; neque icterus gravidarum, neque infantum, saltem in hac regione, periculo comitantur. Ad summam; junioribus, robustis, et alioquin sanis, res melius, quam aetate provectis, valetudinariis, et infirmis, vertere solet.

RATIO SYMPTOMATUM.

Omnium morbi regii signorum rationem reddere minimè aggrediar. Functiones corporis etiam sani, nondum satis intelliguntur: earundem igitur aberrationes a sanitate minus adhuc assequamur oportet; brevis praecipuorum evidentiorumque indiciorum expositio satis esse forsan videbitur. Aliorum ratio ex fellis et sanguinis, vel hujus seri potius, mistura; aliorum ex felle in intestinis deficiente, reddi potest. Illi cutis et oculorum flavedo, croceus urinae color, salivae, aliarumque secretionum vitia, pruritus cutis, mordax narium calor, et forsan pyrexia, haec licet a dolore acuto, et totius corporis irritatione originem traxerit, tribuenda videntur: huic, felli nimirum intestinorum deficienti, peculiarem

culiarem ſtercoris colorem, alvi duritiem, laſſitudinem, ac generalem languorem, imputaverim. Inteſtina, ſtimulo ſolito deficiente, torpent; totumque corpus in conſenſum rapitur. Peculiaris ſtercoris ſpiſſitudo ex eadem cauſa pendere poteſt, fel enim partium ejus cohaerendi vim minuere videtur. Faetoris ſtercori peculiaris defectus rationem reddere nequeo, cum fel, ut nunc creditur, alimentorum putredini, ac fermentationi obſtat. Alimentis in ventriculo ac inteſtinis juſto diutius retentis, dyſpepſiae ſigna ſuperveniunt. Porrò liquores gaſtricos felle vitiatos ſecerni, indeque cibi faſtidium, nauſeam, vomitum, &c. aliqua ex parte pendere, veriſimile videtur. Epigaſtrii et Hypochondrii dolor et moleſtiae ſenſus, ex calculo ductus aut duodenum irritante, aut morboſa jecinoris ipſius conditione, vel ex vaſis ultra modum diſtentis, provenire videantur. Cum in omni inſpiratione plena jecur parteſque vicinae ſepto tranſverſo deorſum premuntur, et poſtea, in hoc, muſculorum abdominis contractione ſurſum truduntur: hinc quia harum partium ſentiendi facultas

cultas augetur, omnis respirationis actio dolorem comitem habet; huic occurrendi consilio aeger animam non plenè reciprocat, quam ob causam sanguis in pulmone debitam mutationem non subit, quâ ad excitandum cor sinistrum aptus redditur, molestiae igitur et anxietatis sensus circa praecordia sentitur.

RATIO MEDENDI.

Hoc capite duo consilia complectimur.

1mum. Signorum urgentium levationem.

2dum. Causarum excitantium amotionem.

Dolor primam nostram attentionem sibi vendicat; nonnunquam enim aegrum intolerando cruciatu afficit; levamen igitur sine mora requiritur: ut hoc fiat, ad opium, quod interdum magnis et iteratis dosibus dari necesse est, confugiendum est. Fotus parti dolenti admovendus, vel tepidarium praecipi debet. Si pyrexia et signa inflammationem habentia, dolori se comites jungunt, sanguinis detractio praemittatur, vesicatoria parti dolenti simul imponantur, et

antiphlogisticum praecipiatur, oportet: his remediis spirandi difficultati etiam subvenitur. Ad vomitionem sublevandam haustus Riverii, inter effervescendum sumendus, dari debet. Si vomitio haustu non consopiatur, opium detur oportet, quod etiam, ad pruritum fere intolerandum, qui nonnunquam fatigat aegrotum, administrari debet. Quò ventriculi aegritudo, quam aeger saepe conqueritur tollatur, alvus catharticis aromaticis soluta servari debet; et medicamenta amara subinde praecipi possunt. Proximum nostrum consilium ad morbum radicitùs sanandum pertinet: hìc autem, causâ excitante cognitâ, regamur oportet.

Si calculi mali causa existimantur, spontè quasi occurrit, nos debere summâ ope niti eosdem solvere, vel transitum eorum in duodenum promovere ut dejiciantur. Ad calculos solvendos variae quidem res propositae fuerunt, et experimenta ferè innumera in calculos extra corpus instituta fuerunt, resque calculos solvendi vi praeditae inventae fuerunt. Quamvis autem hae res concretiones felleas ex-

trà corpus contingentes liquare valent; vix ſperare licet eundem effectum intrà corpus praeſtituras; praeterea alii calculi alias res liquandi vi praeditas requirunt: de hoc igitur primò conſtare oportebit, quod fieri non poteſt. Cum autem medicum aliquid praeſcribere neceſſe eſt, remedia quae ad calculos ſolvendos commendata fuerunt, et res quae hac vi in calculos extrà corpus maxime pollent, leviter perſtringere liceat. Veteres habuerunt fiduciam magnam herbarum ſuccis, ſapone, ſalibus alkalinis, aliiſque bene multis rebus quae nunc parum valere cenſentur; quamvis de miris ſanationibus herbarum, et praeſertim graminis, viribus, effectis legimus. Quae flavo colore, curcuma putà, praedita ſunt, ea pluris habita fuerunt. Res quae calculos extrà corpus optimè, duce experientiâ, liquant, ſunt acidum nitroſum, alkohol, aether, quaedam ex oleis eſſentialibus, oleum, putà, terebinthinae, vitelli; et horum nonnulla, pro medici arbitrio, praeſcribi poſſunt. Si aeger concretiones felleas quondam dejecit, res quae experientiâ praelucente eaſdem extra

corpus liquandi vi pollent aegro praeſcribi debent. Hujuſmodi autem rebus nimis confidere non licet; calculorum expulſio eſt potius experienda: ad hunc finem abſolvendum vomitoria, et medicamenta cathartica plerumque adhibentur: ſignis ad inflammationem pertinentibus, ſi qua fuerint, ſublatis; et fotu, aut tepidarii uſu praemiſſo, vomitoria tuto dari queant, et in eorundem uſu perſtandum, donec calculi in duodenum tranſierint: quod dolore, aliiſque ſignis moleſtis, ceſſantibus, cognoſcere valebimus. Cùm pars ductuum duodenum inter et calculum, hujus irritatione, ſpaſmo, qui calculi tranſitum prohiberet, affici poteſt; opium medicamentorum antiſpaſmodicorum certiſſimum praemiſſum haud raro proficit. Doctor Coe multum in hoc morbo verſatus, haec verba habet; "I have often given vomits in this "caſe, and I have more reaſon to be ſatis-"fied of the effect of them in diſlodging cal-"culi, than of any, or indeed all other medi-"cines." Vomitoria morbi exemplis recèns natis, vel ſaltem periodicis, quia hîc calculi

mobiliores existimari queant, melius accomodari, addit.

Alvi quoque purgatio, ut experientiâ constat, ad calculorum expulsionem festinandam facit: catharticorum operatione naturalis intestinorum motus festinatur; et inde calculos sede disjicere potuerit. Epigastrium aegro tepidario utente fricetur; fieri enim potest ut frictio hîc adhibita ad concretionum expulsionem conferat. Corporis quoque exercitatio lenis, nimirum equitatio, praecipienda est: leviores ignis aetherei ictus hepatis regionem transmissi, vel scintillae ex eodem eliciendae, praescribi queant. Haec etiam auxilia, felle tenace ductus infarciente, prosunt.

Si malum jecinoris morbosi, schirri, putà, effectus fuerit, confugere debemus ad ista medicamenta quae deobstruentia vulgo audiunt; qualia sunt hydrargyrum, tartarum purum, et aquae per venas metallorum vel fossilia cognata metallis, fluentes. Acidum nitrosum, haud ita pridem a quibusdam medicis in hydrargyri locum substituendum, commendatum fuit. Multum verò ab-

est

est ut hoc remedium rebus veris, quibus semper standum est, adhuc pro certo sanciatur. Hydrargyro potissimum fidendum; et parvis dosibus devorandum commodissimè forsan exhibetur: vel parvâ unguenti quantitate pars affecta, aut alia quaelibet idonea, nocte fricari potest: in hoc usu per insigne temporis spatium perstandum erit; interpositis subinde parvis salium cathartico rum mitiorum dosibus, ne copiosior salivae fluxus, ex quo nihil boni sperandum, moveatur. Vesicatoria partibus dolentibus admovenda commendata fuerunt. Et si nulla indicia inflammationem indicantia existant, medicamenta roborantia, diaeta generosa, idoneaque corporis exercitatio praecipi debent.

Si pancreas, aliave viscera, vel ipsi ductus fellei pertinaciter obstructa fuerint, eadem remedia forsan proficient; hic autem rarò ars nostra aliquid potest.

In gravidarum ictero nihil aliud fere necessarium est, quam alvum leniter solutam servare. In ictero infantum vomitoria mitiora, vel potius

cathartica,

cathartica, obstructionem tollent, felliſque cursum restituent.

Mali reditui optimè occurritur idoneâ corporis exercitatione, diaetâ modicâ ac bonâ, et cautâ intemperantiae omnigenae evitatione; animus simul alacer, tranquillus, ac serenus, haud parum ad sanitatem tuendam conferet.

STATUTIS Senatus Academici jam perfunctus, occasionem mihi tandem oblatam esse magnoperè laetor, gratias debitas palam referendi praeceptori meo, semper colendo, DAVIDI AIKENHEAD, apud urbem Corcagiae, ob amicitiam intemeratam quâ me per plures annos dignatus est. Ut diu vivat valeatque, obnixè precor.

TANDEM.